Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26441
Copyright: Admont, Benediktinerstift

qua in re quisque fallatur sive mentiatur. ut cum falli quam mentiri minus sit malum quantum pertinet ad hominis voluntatem. tamen longe sit tolerabilius in his que a religione sunt seiuncta mentiri. quam in his sine quorum fide vel notitia deus coli non potest falli. De comparatione

Quod ut inlustretur dispari mendacii exemplis. intueamur quale sit si quispiam dum mentitur vivere nuntiet aliquem mortuum. et alius dum fallatur credat iterum Christum post quaelibet longa tempora moriturum. Nonne illo modo mentiri. quam isto modo falli incomparabiliter prestat. multoque minoris mali est. in illum errorem aliquem inducere quam in istum ab aliquo induci. In quibusdam ergo rebus magno. in quibusdam parvo. in quibusdam nullo malo. in quibusdam etiam nonnullo etiam bono fallimur. Nam magno malo fallitur homo. cum hoc non credit quod ad vitam ducit aeternam. vel hoc credit quod ad mortem ducit aeternam. Parvo autem malo fallitur. qui falsum pro vero approbando incidit in aliquas molestias temporales. quibus tamen adhibita fidelis patientia convertit eas in usum bonum. velut si quisquam bonum hominem putando qui malus est aliquid patiatur mali ex eo. Qui vero malum hominem ita bonum credit. ut nihil ab eo mali patiatur. nullo malo fallitur. nec in eum cadit illa prophetica detestatio. Ve his qui dicunt quod malum est bonum. De ipsis enim rebus quibus homines mali sunt non de hominibus